

Nec mala vicini pecoris contagia ledent.
Fortunate senex hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi que semper vicino ab limite sepes
Hybleis apibus florem depasta salicti
Sepe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea rauce tua cura palumbes
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.
Ante leves ergo pascentur in ethere cervi.
Et freta destituent nudos in litore pisces
Ante pererratis amborum finibus exul.
Aut ararim parthus bibet: aut germania tigrim.
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
At nos hinc alii sitientes ibimus affros.
Pars scithiam et rapidum crete veniemus oaxem.
Et penitus toto divisos orbe britannos.
En umquam patrios longo post tempore fines.
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.
Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.
Crudelis Impius hec tam culta novalia miles habebit.
Barbarus has segetes. en quo discordia cives
Produxit miseros. en quis consevimus agros.
Insere nunc melibee piros pone ordine vites.
Ite mee felix quondam pecus ite capelle.
Non ego vos post hac viridi proiectus in antro.
Dumosa pendere procul de rupe videbo.




Quid faciat letas segetes que sidera seruet
Agricolla ut facillem terram proscindat aratro
Semina quo iacienda modo, cultusque locorum
Edocuit messes magno cum fenore reddi.



Quid faciat letas segetes quo sidere terram
Vertere mecenas ulmisque adiungere uites
Conueniat que cura boum qui cultus habendo
Sit pecori apibus quanta experientia parcis atque
Hinc canere incipiam. uos o clarissima mundi
Lumina labentem celo que ducitis annum
Liber et alma ceres uestro si munere tellus Et
Chaoniam pinguem glandem mutauit arista
Poculaque inuentis acheloia miscuit uuis
Et uos agresti presentia numina fauni
Ferte simul faunique pedem driadesque puelle satyrique
Munera uestra cano. tuque o cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti
Neptune. et cultor nemorum cui pinguia cee
Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci
Ipse nemus linquens patrium saltusque licei
Pan ouium custos situa menala cure tibi
Adsis o tegeee fauens. oleeque minerua
Inuentrix. oncique puer monstrator aratri
Et teneram ab radice ferens siluane cupressum
Dique deeque omnes studium quibus arua tueri
Quique nouas alitis non ullo semine fruges.



ARma uirumque cano troye qui
primus aboris
Ytaliam fato profugus lauinaque uenit
Littora multum ille et terris iactatus
et alto
Vi superum saeue memorem iunonis
ob iram.
Multa quoque et bello passus dum
conderet urbem
Inferretque deos latio genus un
de latinum
Albanique patres atque alte menia rome.
Musa mihi causas memora quo numine leso
Quidue dolens regina deum tot uoluere casus
Insignem pietate uirum tot adire labores
Impulerit tante ne animis celestibus ire.
Urbs antiqua fuit tirii tenuere coloni
Carthago italiam contra tiberinaque longe
Hostia diues opum studiisque asperrima belli
Quam iuno fertur terris magis omnibus unam
Post habita coluisse samo hic illius arma
Hic currus fuit hoc regnum dea gentibus esse
Si qua fata sinant iam tunc tenditque fouetque
Progeniem sed enim troiano sanguine duci
Audierat tirias olim que uerteret arces
Hinc populum late regem belloque superbum



Sic fatur lacrimans classique immittit habenas.
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras cum dente tenaci.
Anchora fundabat naves et litora curve
Pretexunt puppes iuvenum manus emicat ardens.
Litus in hesperium querit pars semina flamme
Abstrusa in venis silicis. pars densa ferarum
Tecta rapit silvas inventaque flumina monstrat
At pius Eneas arces quibus altus Apollo
Presidet. horrendeque procul secreta Sibille
Antrum immane petit magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates. aperitque futura
Iam subeunt Trivie lucos. atque aurea tecta.
Dedalus ut fama est. fugiens minoia regna.
Prepetibus pennis ausus se credere celo
Insuetum per iter gelidas enavit ad arctos
Chalcidicaque levis tandem super astitit arce.
Redditus his primum terris tibi Phebe sacravit
Remigium alarum posuitque immania templa.
In foribus letum Androgeo tum pendere penas
Cecropide iussi miserum septena quotannis.
Corpora natorum stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus.
Hic crudelis amor tauri. suppostaque furto
Pasiphe. mixtumque genus. prolesque biformis.
Minotaurus inest veneris monumenta nefande.

Hic labor ille domus.

Ille oculis postq̃ seeui monumenta doloris
Exuuiasq̃ hausit furijs accensus et ira
Terribilis. tu ne hic spolijs indute meorũ
Eripiere mihi: pallas hoc ulnere pallas
Immolat. et penã scelerato ex sanguie sumit
Hoc dicens ferrũ adverso sb pectore cōdit
Feruidus. ast illi soluitur frigore membra
Vitaq̃ cũ gemitu fugit indignata sub umbras.

Deo. Gratias. Amen

Eneidum . P . M . Virgilij . Opus .
Explicit . Feliciter .

Die. 26. septembris. 1461.